

effinxit. tu vale et si quid in hac re aut negligentia aut certe nimia credulitate^(a) admissum est, da veniam. Padue, .vii. kalendas aprilis 1396.

Chiede pertanto
scusa all'amico.

LXXII.

5

IL MEDESIMO AL MEDESIMO^(b).

[B, c. 18; P, c. 6 B; Ra, c. 58 B].

Padova,
24 giugno 1396.

S'alletta di sa-
perlo guarito dal-
l'infermità sofferta,

ET superioris adverse valitudinis et reddite sospitatis unus nuntius fuit, qui simul et de salute letitiam et de egritudine merorem ingessit. quo enim pacto fieri posset, quando vera nos iungit
10 amicitia, ut non omnium et adversitatum et prosperitatum participes essemus? aut que tanta ratio munire nos in utranque fortunam queat, ut non alterius commodis incommodisque moveamur? et sane dudum male nescioquid mens suspicabatur, quod neque nuntium neque litteras dabas, cumque michi persuadere vellem
15 idcirco offensum te esse atque ob id nichil reddere, quod superioribus epistolis liberius tecum egerim, animus tamen nichil horum admittere poterat. sed iam, gratias Deo, et timor omnis et suspicio sublata est. egrotasti et liberatus es. de posteriore summum letor. egritudo autem, etsi per se malum videatur, plerunque tamen gra-
20 vioribus morbis corpus et suis animum vitiis purgat. meminisse nos facit conditionis humane; et quod nunquam sanus intellecturus quis erat, in labore infirmitateque cognoscit. tu ergo in ceteris rebus prudens, isthac invalitudine pro medicina sis usus, et si quid erat quod mentem inflaret, quod altius efferret quam deceat,
25 hoc antidoto diluatur. vale. Padue, .viii. kalendas iulii 1396.

e aggiunge qualche
riflessione sopra
l'utilità delle ma-
lattie.

(a) *P* crudelitate (b) *B P. P. V.* Oldravindino de Ferraria s. p. d. *P* Eiusdem ad Oldovrandinum de Ferraria